

An ad medium Magnitudinis seu Figuræ huius globi, an ad Virtutis maioris loca rapiantur. Vbi Centrum quod vocant Grauitatis excutiemus.

Quæ causa Continuationis in motu præsertim Violento. Et cur hic ipse violentus motus sensim remittatur: at grauium motus quo deorsum feruntur continue augeatur.

Qui etiam Pondera motibus non sint reciproca: sed eadem celeritate & magnum & paruum pondus, & graue & minus graue, deorsum ferantur.

Cur item Corpus quoduis in medio fluido se grauiore sursum petat: sicut lignum in aquis, aurum et cætera omnia in Mercurio in sublime aguntur.

An Aer per se grauis, leuis aut neuter.

An Ignis seu flamma per se, an tantum in aere seu medio se grauiore leuis.

IIII De Motu vel Quiete Globi integri terreni agemus.

Vtrum hic globus vel *κυλήσεως* vel *δινήσεως* motum admittat: sicut non. Hypothesis tantum loco sed reuera hi motus à nonnullis Terræ tribuuntur. Vbi considerationes occurrent haud indignæ.

Et hæc cum alijs de Terreno globo integro: nunc partes ipsius euoluendæ. Et primum.

De Partibus Terreni globi Maioribus.

Initio de globi huius parte Exteriori seu superficie tractabimus, quæ à superioribus descendendo prior occurrit, post de Interioribus seu solidis acturi. Cuius superficiæ generalis inter se figura & dispositio ex Terra & Aqua quibus in vniuersum tecta est desumitur.

Et Terræ quidem superficiem (vnde & Mare mox innotescit) in Continentes Tres, seu Insulas si par est Tres maximas diuidemus, sic vt Prima continens Terra nostra sit Europam, Africam & Asiam comprehendens. Secunda sit Continens Terra occidua quam Americam seu Indiam Nouam dicunt. Tertia Continens assumatur Terra Australis ea cuius littora late peruagata à Lusitanis perhibentur.

Vltra quas Continentes Terras maximas & generales proponemus & Terras minores seu Insulas præcipuas.

Quibus subiungemus Regionum, Urbium, Montium, Sylvarum, Planicierum, Fluuiorum, Lacuum etc. insigniorum situm & memorabilia quædam physica. Et locorum quidem
idea